

comburere deberent tam amicorum quam inimicorum. & ita factum fuit. post istud uero negotium/ rex vlau cum suis gentibus in suam patriam remeavit/ que de bello euaserant. quoniam quamuis obtinuissent prelium multi fuerunt mortui. set de inimicis eorum fuerunt mortui plures. quia tot fuerunt in prelio illo mortui quod uix posset numerus credi si quis audiret refferi. per hunc modum quidem se habuit istud negotium belli predicti. & vlau bellum obtinuit. Nunc uero dimitentes de ulau & de ista materia dicemus de quodam prelio quod inter tartaros de ponente extitit/ prout aperte poteritis audire /qualiter tota mongu fuit dominus tartarorum de ponente./

Cum uero tempore procedente quidam moguthemur nomine existens dominus tartarorum de ponente decesserit tunc dominium spectabat ad quemdam nomine Tholubuga qui iuuenis erat. et tota mangu qui multum potens erat interfecit tholubuga cum adiutorio cuiusdam regis tartarorum nomine Nogay. In hunc uero modum totamangu dominium habuit. & regnauit parum/ quia decessit & toctay dominium habuit & electus fuit in dominum qui multum probus erat & sapiens & iste regnauit & habebat dominium totamangu. Accidit enim quod duo filij Tholubuga qui fuerat interfectus creauerunt ita quod arma ^{128v} ferre ualebant/ qui erant sapientes & probi. Isti quidem duo fratres filij uidelicet tholubuga se preparauerunt cum pulchra societate/ & arripuerunt iter. & iuerunt ad curiam Toctay. Et cum illuc uenissent/ coram ipso iuerunt & ipsum bene & curialiter salutauerunt & continuo ambo fratres flexis genibus permanebant. Toctay quidem eis dixit/ quod bene uenerint & ipsos fecit exurgere. Et cum exurexissent maior in tempore taliter fuit locutus. domine toctay causam propter quam uenimus uobis narabimus quam melius sciemus. uerum est prout scitis quod filij tholubuga fuimus quem interfecerunt totamangu & Nogay. Supra totamangu uero facere nil ualemus quoniam mortuus est. set de nogay clamorem facimus & uos rogamus quatenus de ipso nobis rationem & iusticiam facere uelitis tamquam iustus dominus qualis estis de eo uidelicet qui patrem nostrum tradidit morti & rogamus uos quatenus ipsum coram uobis facere uelitis accedere & ius nobis de morte patris nostri faciatis. Et hec est causa propter quam ad curiam uestram uenimus. Et taliter suum colloquium domicellus ille finiuit/ Qualiter Toctay mittit pro nogay propter mortem tholubuga/

^{129r} **C**um Toctay intellexisset id quod isti iuuenes postulabant. & sciret quod ueritatem dicebant taliter eis/ respondidit. Amici humanissimi & fratres uos postulatis quod uobis rationem faciam de nogay. & hoc libentissime faciam & ad nostram curiam & coram me faciam ipsum uenire. & id agam quod rationis ordo requiret. Toctay igitur duos nuncios transmisit ad nogay/ cui misit dicendo quod ueniret ad curiam facturus rationem filijs tholubuga de